



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Arnoldi Corvini à Belderent J. U. D. Jus Canonicum, Per
Aphorismos Strictim Explicatum**

Corvinus van Beldern, Arnold

Amstelodami, 1663

Raptu.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10591

De Raptu.

T I T. XX.

Raptus est, quando puella violenter de domo patris abducitur, ut corrupta in uxorem habeatur. *c. lex. §. 1. 36. qu. 1.*

Ejus pœna est in raptorem, ejusque comites, præter pœnas legibus Civilibus statutas, *in l. un. C. de raptu. Nov. 123. c. si quis rapuerit. 27. qu. 1.* si laici sunt, anathema; si Clerici, ordinis & honoris amissio. *c. raptores igitur. 2. c. de puellis. 4. c. si quis virginem. 5. e& c. seq. 36. qu. 2.*

Raptus autem propriè, hoc jure, dicitur committi cum feminæ honestæ famæ, sive sit virgo, sive vidua, *c. raptores. 36. qu. 2.* cum qua de nuptiis antea nihil actum fuerat, abducitur. *d. c. lex.* Unde qui sibi desponsatam, parentibus invitis abducit, raptor hoc jure (omnino Civili; *l. un. C. de raptu.*) non dicitur. *c. cum causam. e& fin. de raptor.*

Rapta quoque puella, hoc jure, non Civili; *d. l. un. §. et si non nuptæ. c. cum. secundum leges. de heretic. in 6. legi- timè cum raptore matrimonium contrahet, si prior dis- sensio in consensum transeat: c. fin. de raptor.* si modo ma- trimonium aliunde non habeat impedimentum: ut puta, *ordinis, consanguinitatis, vel alterius generis.* Raptorenim & rapta nomina sunt vitiorum, non personarum; vitia au- tem cum purgata fuerint, eorum etiam nomina abolentur.

Sed hæc de illis intellige, qui mulierum laicarum consensum habuerint; nam qui Deo dicatas virgines, vel rapuerint, vel volentes matrimonio sibi sociare tentarint, tanquam sacrilegi, plectuntur, nullâ sacrarum virgi- num voluntatis habitâ ratione. *can. 2. ubi Gloss. 1. 36. qu. 2.*

De